

**1983-11-13 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Confiteor Tibi’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**CONFITEOR TIBI**

**VEN. SERVAE DEI MARIAE A IESU CRUCIFIXO BAOUARDY  
BEATORUM HONORES DECERNUNTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – «Confiteor tibi, Pater, ... quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis» (*Mt* 11, 25). Quae sic exsultans Spiritu Sancto (cfr. *Lc* 10, 21) Iesus quondam dixit, Ecclesia suo cum Sponso etiam nunc repetit, cum haud paucos videlicet filios filiasque respicit «pauperes spiritu» (cfr. *Mt* 5, 3), quos Deus ipse consolatur (cfr. *2 Cor* 7, 6) atque exaltat (cfr. *Lc* 1, 52) quibusque sapientiam praestat (cf. *Ps* 18 [19], 8). Iis quidem adnumeranda parvulis est Maria a Iesu Crucifixo, quae «parvulum nihilum» et nuncupari se et putari et esse cupiebat, suavissimus Terrae Sanctae flos: prima nempe eiusdem regionis prae omnibus benedictae post prisca Ecclesiae tempora, prima item ex ritu graeco-catholico melchita, prima dein ex Arabum gente, prima tandem sui Ordinis filia «ex terra Carmeli», quam hodie Nos ingenti animi gaudio ad Beatarum caelitum proveximus honores. Humili apud Abellin loco in Galilaea, intra archidioecesis graeco-Catholicae Ptolemaidensis fines, orta die V mensis Ianuarii anno MDCCCXLVI haec Dei Famula die XV eiusdem mensis sacro est fonte lustrata, nomine Mariae piis a parentibus Georgio Baouardy ac Maria Chahim ob votum indito; quibus tamen anno MDCCCXLIX tenella etiam est orbata, unde infantiam et adulescentiam Cruce ipsa signatam pertulit. Patrum suum, a quo sub tectum erat Arius recepta, in Aegyptum sequens partes famulae Arius Alexandrine sustinuit, deinde Hierosolymis ac Beryti, et tandem Massiliae, quo Libani familiam erat secuta et ubi eximias primum experta est gratias. Anno MDCCCLXVII inter moniales Ordinis Carmelitarum Discalceatorum asceterii ipsius Palensis suscepta est, unde tirocinio necdum peracto eam in Indiam miserunt ad monasterium Mangalorese condendum, ubi etiam die XXI mensis Novembris anno MDCCCLXXI religiosa nuncupavit vota. Palum vero subsequenti anno rediit atque anno MDCCCLXXV in Terram Sanctam processit ibique monasterium in civitate Bethlehem a fundamentis excitavit, in quo die XXVI mensis Augusti anno MDCCCLXXVIII hoc de mundo sanctissime evolavit ad regnum illud pauperibus a Deo paratum (cf. *Mt* 25, 34). Miris supernae naturae donis praeclara, ab hominibus elata abiectaue vicissim tum etiam diaboli ipsius vexata incuribus, excelluit usque animi aequabilitate ob fidem suam ac sancta quadam comitate, cum demissionem animi verum haberet patientiae fontem omnisque sanctitatis secretum. Quandoquidem sic humiliter de se sentiebat cupiebatque secundum libri *De Imitatione Christi* sententiam, «nesciri et pro nihilo reputari» (I, 2, 15), sine intermissione contendeat ut mirabilia ipsa praeter consuetum rerum ordinem effecta a se averteret, ceteris vero omnibus subesset iisque, utpote in quibus Christum amantissime contemplaretur, deserviret, obscuriora dein ac duriora munera sibi veluti privilegium flagitaret vehementerque cuperet sorores ac fratres omnes libere de se disponere. Illud unum sibi poscebat ius ut plana tribueretur ei facultas omnes homines toto ex corde totisque viribus diligendi; quod officium ad mortem usque complevit, quavis sui ipsius cura remota. Maxime autem laetabatur cum infirmitatibus acerbisque animi cruciata doloribus posset se doni instar in cruce cum Christo offerre. «Sancta et corpore et spiritu» (*1 Cor* 7, 34) virginitatem suam haud secus ac forem suavissimum Sponso semper immolabat, dum fidei catholicae professionem suo etiam sanguine servabat necnon puritatis intemeratae liliū. Ecclesiam Matrem impenso quidem studio dilexit complexaque est patriarches et episcopos, in primis vero Summum Pontificem, veluti angelus Dei ac personam Domini sustententes. Pium Papam Nonum adeo adamavit et venerata est ut mira communione mystica cum eo, qui gaudiorum eius ac dolorum erat particeps, coniungeretur. Ad caritatis perfectionem cum per viam paupertatis evangelicae properaret, magna et parva patiebatur uno eodemque simplicis animi adfectu, colens videlicet eam simplicitatem tamquam sanctitatis finem quae, ipsa testante, «non consistit in oratione in visionibus in revelationibus vel in arte bene dicendi aut in ciliciis et paenitentis, sed in humilitate». Ad eius denique Beatificationis causam quod spectat, initium sumpsit anno MCMXIX, quo in Curia Patriarchali Hierosolymitana de ipsius vita ac fama sanctitatis agi est coeptum. Qua porro inquisitione absoluta Processus Apostolici de virtutibus sunt peracti annis MCMXXVII-MCMXXIX. Hisce vicissim a Nobis comprobatis anno MCMLXXXI virtutibus, rite disceptatum ordine est de mirabili sanatione puellulae Khazneh Jubran Abboud ex Shefamar, Galilaeae loco, quae Venerabilis Dei Famulae adscribenda fuit deprecationi. Eadem tunc sanatione inspecta ac per Decretum Nostrum die IX mensis Iulii anno MCMLXXXIII sancta, ediximus sollemnem Beatificationem Mariae a Iesu Crucifixo die XIII mensis Novembris huius ipsius anni suscipi debere irique susceptum. Quam quidem Beatificationem, inter ritum Eucharisticum in Basilica Petriana hodie mane celebratum, perfecimus haec proferentes verba: «Nos, vota Fratris Nostri Iacobi Iosephi Beltritti, Patriarchae Hierosolymitani Latinorum, necnon Venerabilis Fratris Maximi Quinti Hakim, Patriarchae Antiocheni Graecorum Melchitarum Catholicorum, plurium aliorum Fratrum in Episcopatu ex Oriente et Occidente necnon totius Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Marine

Virginis de Monte Carmelo, multorumque Christifidelium expletes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria a Iesu Crucifixo Baouardy nomine Beatae in posterum appelletur eiusque festum die ipsius natali vicesimo sexto mensis Augusti, in lotis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen». Simul etiam imaginem ad Evangelium illustravimus Beatae quae «stirpe ritu vocatione peregrinationibus populorum Orientis partes agit eosque quodammodo repraesentat ... qui ad fraternam illius intercessionem in miseris, quibus versantur, luctae et sanguines condicionibus tota animi fiducia nunc praesertim confugiunt, fore sperantes ut etiam Servae Dei precibus pax et concordia illis terris tandem restituatur, ubi «Verbum caro factum est» (Io 1, 14), ipsemet «pax nostra» inimicitias in carne sua solvens (cf. Eph 2, 14). Apostolicas autem has Litteras ut nunc sic posthac ratas esse volumus suamque exserere vim, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris die XIII mensis Novembris anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri sexto.*

AIIGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis